

zubringen seind. Welches was es bis anhero der Evangelischen Kirchen für schaden vnd nachtheil gebracht / auch wie hoch schädlich solches derselben sey / giebt die tägliche erfahrung zur genüge zuerkennen.

Darumb so ordene vnd wil ich das die *Profession*, für allen andern in acht genommen / darzu ein Gottseeliger frommer / ein gezogener / stiller vnd nicht zänckischer Man für genommen vnd bestellet / solche *profession* auch für vnd für in esse erhalten werden solle.

Emendatiùs legenda.

B. 1. fac. a l. 14. ratione. f. b. l. 10. B. 10. 3. f. a. l. 24. excutiatur, & B. 4. f. a. l. 30. addatur OPERUM. D. 3. f. b. l. 10. conquiescat D. 4. f. b. l. 8. habent. E. 2. f. b. l. 22. Perfectiora. F. 4. f. a. l. penul. addatur post gemmug, & Ibid. f. b. l. 7. delineatione. G. 2. f. a. l. 17. Thom 4.



XXVI

ὉΡΘΟΤΟΜΙΑ ΚΑΙ ἘΤΤΑΞΙΑ
τῆς ὑγιανέσης καὶ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίας,

H. E.

DE THEOLOGIÆ
SACROSANCTÆ DISTRI-
BUTIONE AC PARTITIONE
RECTA AC ORDINATA;
ut & de

Locorum communium Theologico-
rum accuratâ tractatione,

Disquisitio:

de qua

Ἐν ᾧ Θεῷ

Sub διπολογισμῷ

GEORGI VECHNERI,

SS. Theol. D. & Professoris in

Illustri Bethanéo

Publicè disceptatur,

RESPONDENTE

JACOBO Birekholz

Lubenâ Lusat.

Ad xvii. Martii,

BETHANIÆ

TTPIS DÖRFFERIANIS.

ANNO M. DG. XIIX.



ILLUSTRI, MAGNIFICO, ET
 GENEROSISSIMO DN.
DN. HENRICO
 BURGGRAVIO à DOHNA

Dn. in Kráschen / Herbswalda /
 Witgendorff etc.

Dn. Patrono suo omni jugiter obser-
 vantia cultu venerando:

Nec Non

Reverendo & Clarissimo Viro, Domino

PAULO Birekholz NATHA-
 ni Lubenaviensi vigilantissimo, pa-

renti suo obedientia & honore
 æviternum profe-
 quendo

*Primitias hanc suas in humilis subjectionis,
 & debita gratitudinis munera*

offert

consecrat

Respondens.



426413



DE DISTRIBUTIONE AC
 PARTITIONE SACRÆ
 THEOLOGICÆ.

L



*Uta de Theologia sacrosancta generatim com-
 mentanda videbantur, nuperà dissertatione exposita
 sunt, licentiore quodam Logica ductu.*

2. *Nunc deinceps arctiore limite, porrò de ordi-
 nata atq; particulari disciplina ejus constitutione
 videndum est.*

3. *Primò itaq; omnium distributio atq; partitio
 Theologiae totius ac universae est exhibenda.*

4. *In hoc verò capite duo cum primis curanda:
 Unum conditiones quasdam spectat, in Theologiae
 distributione atque partitione maximoperè obser-
 vandas: alterum in planà universariae distributionis,
 juxta conditiones illas instituta, designatione atque
 deductione consistit.*

5. *Quod conditiones illas attinet; quae in Theo-
 logiae distributione sunt observandae maximoperè;
 eas communiter collimare eò oportet; ut ipsa per
 distributionem continuata Theologiae tractatio,
 ad instructionem facilem & institutionem efficacem
 quam maximè sit comparata.*

6. *Conditiones ejusmodi duae sunt una ορθοτομία
 est, seu recta & genuina sectio: altera Ορθία seu bo-
 na conveniensq; ordinatio.*

7. *Ορθοτομία in eo consistit; si, quae in re ipsa con-
 nexa atque quasi composita sunt, ita sejunctim & dif-*

A 2

pertitè

peritè exponantur; ut nexus eorundem genuinus simul tamen dilucidè compareat.

8. Itaq; Distributio ac Partitio ὀρθῶς tum instituitur, cum unumquodq; totius ac integræ disciplina membrum à respectu suo proprio, & ad finem præstitutum directo, nihil alienatur, sed eum respectum atq; nexum suum cum evidentia quadam in ipsâ tractatione atq; deductione disciplina prodit.

9. Respectus ille proprius indagari & dijudicari ex eo potest; Si videatur quâ relatione logicâ diversa quæq; res, quæ in Theologiâ sacrâ attinguntur, ad disciplinam eam, & finem in eâ præfixum utilissimè & fructuosissimè sese referant.

10. Referunt ita sese res diverse ad unam & eandem disciplinam, sacram, & finem in eâ præfixum, vel per modum Causæ alicujus efficientis, vel per modum finis, subiecti, adjuncti, objecti, antecedentis, aut modum ejusmodi alium.

11. Εὐταξία in eo consistit; si singula membra, quæ particulatim exponenda veniunt, eo se ordine comitentur invicem, quo promoveri atq; permoveri animus discantis ad scopum præfixum potest facillimè ac certissimè.

12. Ordo hujuscemodi triplici hac cautione ac provisione potissimum efficitur;

1. Si ea præponantur semper, quæ reliquorum inserviunt cognitioni, quæ inducant atq; instimulant ad eorundem usum praxin seu exercitium.

2. Si generalia, Universaria atq; perpetua præmittantur specialibus, particularibus & ad tempora certa definitis.

3. Si necessaria atq; utilissima quaquam prærogativam

gativam evidentem sortiuntur præminis necessariis, aut aliquo saltem modo utilibus.

13. Hæ conditiones illæ sunt, quas si in disciplinæ ullius distributione ac partitione spectare convenit, certè in Theologiæ sacræ distributione ac partitione sectari maximè expedit.

14. Et de ὀρθοτομίᾳ illâ non obscurè monet etiam Paulus 2. Tim. 2. v. 15: ubi ejus curam Timotheo demandat, & in λόγῳ ἀληθείας, qui est Theologia sacrosancta, adhibendam eam sigillatim ac expressè docet.

15. De εὐταξίᾳ etiam generatim & universè satis monet idem Paul. 1. Cor. 14. v. 40: ubi omnia fieri jubet εὐσημόνως καὶ κατὰ τάξιν.

16. Nec enim τάξιν qualemcunq; eo loco Apostolus notat, sed pariter comparatam ac ἁρμονίᾳ, secundum quod voce præmissâ omnia fieri debere significat.

17. Perspectis his, in distributione Theologiæ observandis, conditionibus, ipsa posthac ejus universaria distributio secundum eas planè designanda est atque deducenda.

18. Theologiæ igitur, sensu antè definito ac strictè acceptæ, partes universariæ ita distribuendæ videntur; ut agatur

I. De Patefactione divinâ,

II. De Beatitudine & salute,

III. De Religione.

19. Ut ὀρθοτόμως etiam id fiat disertè simul notandum partem seu membrum primum nempe Patefactionem divinam; Principii respectum in Theologiâ

Sacrofancta habere; per quod constare tum de Beatitudine, tum de Religione potest.

20. Pars altera, nimirum Beatitudo, *finis respectu* attendenda est, qui in Theologia sacra præstituitur, de quo ex patefactione divina nobis constat, ad quæ per eam instruimur & instituimur.

21. Tertia pars, Religionis nomine denotata, tanquam *medium* est expendenda, quod patefactione divinâ, pro fine dicto monstratur ac ostenditur; quo sine ad beatitudinem pertingere pro sapientissimâ ac æquissimâ sanctione divinâ non licet.

22. *Eutaxia* præexposita in hac partium ordinatione ex modò dictis satis elucescit, præcipuè quod cognitionem attinet.

23. Quod usum, praxin, atq; exercitium ipsum concernit, ordo hic talis ad ista omnia etiam maximè comparatus.

24. Eo enim ordine jubetur in Theologiâ sacrosanctâ prima esse Patefactionis divinæ atq; adeo scripturæ sacræ cura: quam qui non in super habet, & *facilitatem & certitudinem* in reliquis experietur optatissimam.

25. Per primam hanc curam consequenter Beatitudinis ratio & pollicitatio clarè exhibetur: ad quâ animus intendendus avidè.

26. Per eandem patefactionis divinæ atq; adeo sacræ scripturæ curâ ulterius Religio infallibilis verè & sufficienter docetur: quæ sanctè mox est suscipienda, devotè semper est colenda.

27. Porro ut Locorum seu Capitum primariorum in Theologiâ sacrosanctâ, quædam series ex genuinâ sede, & fructuosissimo ordine exhibeatur,

Tertia

Tertia illa pars de Religione per sua potissima membra dispendenda est ulterius.

28. Quod ut fiat dilucidè, primò attendendum, In quo Religio intimè & penissimè consistat.

29. Eo facto, luculenter sese prodent illa, quæ per partes ac membra sunt tradenda, ad religionem verè & sufficienter docendam.

30. Quantum ad prius: Religio relatione certâ inter Deum & hominem intimè ac penissimè continetur.

31. Relatio illa tum universim spectari potest, quatenus una perpetuè est ac eadem; tum quoad certorum temporum individua.

32. *Priore modo* expensa relatio illa, triplicem respectum comprehendit, Unum Objectivum; alterum Subjectivum; tertium directivum seu normalem. Populariter respectus eos ita exprimere licet, ut dicatur considerandum & docendum *Cui, A quo, & quomodo* religio præstanda.

33. *Respectus objectivus* est quoad Deum: quo respectu consideramus DEUM illud ipsum esse circa, quod religio nostra convenienter occupata esse debet.

34. *Respectus Subjectivus* est quoad Hominem: quo respectu scimus hominem esse id ipsum, quod quoad universas facultates ac vires suas circa Deum primò ac devotissimè occupari debet.

35. *Directivus atque normalis respectus* ad ipsas operationes atque actiones hominis pertinet, quatenus illa certâ atque definitâ ratione quadam ab homine

mine erga Deum præstandæ sunt, nec licentioso arbitrio sunt relictae aut permissæ.

36. *Posteriore modo* considerata illa Religionis relatio, pro peculiari quoad DEUM & hominem actuum, eventuum ac consequentium diversorum accessu, circa triplicem istum respectum peculiarium quædam capita sortitur, quæ partem etiam aliquam variabilia sunt atq; mutabilia.

37. Itaq; ad Religionem verè ac plenè docendam, membra hæc distinctim sunt expedienda.

Primo ea constituenda, quæ ad Religionem ex natura ipsius DEI & nativâ hominis constitutione pertinent.

Deinde subjungenda, quæ secundum temporum discretionem, certarum personarum respectu, cum variatione nonnullâ, aliquoq; subinde eventu aut ejus præsupposito, ad eam plenè perfectèq; habendam & intelligendam pertinent.

38. Compendiosioris appellationis gratiâ, illa Religionis pars *Universalis atq; perpetua* dici potest; & omnibus temporibus communis; hæc *singularis*, & secundum tempora ac Personas particulariter, pro variato hominis statu, discreta.

39. Ad *Universalem illam partem* pertinebit agere de DEO, ejus attributis, operationibus, ac operibus; De lege natura & principiis ac regulis Religionis ex verbo insito promanantibus.

40. Quod *ἐπιδοκιμασιαν* attinet, de DEO agendum, ut de *objecto* Religionis: quod ut verum ac genuinum habeamus de *Personis* etiam *Divinis* agendum & *Trinitate* sacrâ.

De

41. De ATTRIBUTIS DIVINIS, ut de DEI *infinitate, Immensitate, Omnipresentiâ, Bonitate, Sapientiâ, Justitiâ, Omnipotentiâ, Gratiâ, Misericordiâ, Severitate, Clementiâ* &c. de ejusdem item OPERATIONIBUS, ut *Creatione, Conservazione, Gubernatione, Providentiâ* &c. de ejusdem denique OPERIBUS ut *Mundo, Cælo, Terrâ, Mari, Angelis & creaturis* præter hominem omnibus aliis, agendum ut de *Causis* sigillatim ad Religionis debitum nos obstringentibus & obligantibus, invitantibus, ac allicientibus.

42. De HOMINE agendum ut de *Subjecto*, quod religionem præstare debet: de ejusdem naturâ ac qualitatibus, ac dotibus nativis, ut de *conditionibus & requisitis*, ob quas religionem præstare potest & tenetur.

43. De LEGE NATURÆ AC NOTITIIS INSITIS agendum, ut de *causâ directrice ac normâ* (imperfectiore tamen) operationum ab homine erga Deum exercendarum, huc deserviente; ut homo fiat inexcusabilis: ad quam respicit Apostolus *Rom. 1. v. 32.*

44. *Ευταξία* in hac locorum ordinatione generatim animadvertere facile est: luculentissimè autem eadem perspicitur, cum singuli debito modo fuerit pertractati atq; connexi.

45. *Pars altera seu singularis* pro variato hominis statu, variis gradibus est absolvenda.

46. Agendum nimirum in parte hac de Religione singulariter quoad in *Protoplastos*, in statu ante lapsum seu primævo spectatos: inde quoad eosdem & ab iis propagatum genus humanum, sub lapsu ac miseriâ constitutum: idq; tum sub promissi primùm, tum sub missi tandem *Messie* temporibus.

B

Sub

47. Sub partem hanc cætera pleraq; Theologiæ capita commodè sese referent, qualia sunt de *Statu Integritatis*, de *Imagine DEI*, de *Libero arbitrio*, de *Fœdere DEI*, de *Paradiso*, de *Lapsu primorum parentum*, de *Peccato*, de *Pœnis*, & *Afflictionibus*, de *Circumcisione*, de *Paschate*, de *Sacrificiis*, de *Lege morali*, *Ceremoniali*, & *Forensi*, de *Christo*, *mundi Salvatore*, de *Evangelio*, de *Pœnitentia*, de *Fide*, de *SS. missione*, de *Ecclesiâ* &c. de quorum omnium ὁρθοτομία atq; εὐκαταία suo deinde tempore agetur.

48. Hoc partium ordine in Theologicâ de Religione institutione observato, primum offerentur ea, quæ ad nullum unquam hominem non pertinent; adeoque ad nos etiam quocumque tandem tempore nos esse cogitemus, aut ubicunq; degamus.

49. Post hæc ea subsequenter, quæ ad homines secundum certa tempora & certas in iisdem conditiones restringuntur.

50. Atq; in ordine hoc id etiam dilucidè obveniet, quod ad nos propriè & præcisè pertinet, secundum tempora nostra statumq; nostrum, ex lapsu primorum parentum, peccatoque miserrimum, sed, per Christum Redemptorem tamen, post promissionis tempora tandem exhibitum, felicissimū; ac, propter eundem judicem è cœlis brevi affuturum, aut præsentissimæ spei per fidem ac resipiscentiam compotem; aut infestissimæ anxietati per infidelitatem ac peccandi perseverantiâ obnoxium.

51. Hoc modo summas Theologiæ ac Religionis partes concipere, & inculcare ad *salutares profectus* videtur accommodatissimum.

ut

52. Ut res clariùs perspiciatur, his quo ad Religionem ita conceptis veram Religionem nunquam sibi quisquã imaginabitur, quin & cogitet & sentiat id, quod ad religionis veritatē in nobis ipsis opere ipso sectãdam & exercendam, valet plurimum.

53. Cogitabit nimirum quisque ita informatus, DEUM ipsum certissimum esse testem, qui patefacere queat, ac testificari, quo loco à quoquo habeatur, seu quã ratione occupatum circa se quemque deprehendat.

54. Sentiet deinde quisq; suam sibi conscientiam discutere, qualiter erga Deum, ut suo se verbo patefecit, sit animatus, quomodo circa eum quotidie occupetur.

55. Ac in hac circa Deum occupatione pensitendã, ordine non obscuro conscientia sua quemque distinctim commonefaciet; quĩ Dei majestatem veneretur^a, Sapientiam admiretur^b, Bonitatem amplectetur^c, Omnipotentiam vereatur^d, Justitiam agnoscat^e, Severitatem timeat^f, Gratię ac Misericordię in Christo declaratę confidat^g, Sanctitatem æmuletur^h, Philanthropiam imiteturⁱ, Benignitatem supplex adoriatur^k, Beneficentiam gratus profiteatur^l, quĩ Dominio ejus humiliter & obsequiosè se subjiciat^m; quĩ consilium ejus attendatⁿ; quĩ largitate patientiã, Longanimitate,

a 1. Tim. 1.

17.

b 1. Cor. 2.

16.

c. Ps. 13. 6.

d. Matt. 10.

28.

e. Zeph. 3. 5.

f. Heb. 0. 0. 3.

g. Heb. 4. 16.

h. Lev. 11.

44.

i. Mat. 5. 45.

k. Ps. 51. 3.

l. Ps. 34. 9.

m. Mal. 1. 6.

n. Luc. 7. 30.

65. Atque hoc pro discantis conditione, usu, ac scopo accessorio quodam, fieri convenit diductius aut contractius, exquisitius aut supplicius.

66. *Distributiones Theologia, quæ per modum specierum apud alios sub initium designantur, ita sunt pleræque comparatæ; ut nec in illarum dignotione immorari necesse sit, nec ad salutaris disciplinæ complementum pertineant.*

67. Et quæ usum aliquem obtinere possunt, quæ in distributionibus illis attinguntur, secundum alios respectus commodius eum exserunt, quàm per modum distributionis.

68. *Ut res constet explicatiùs: summa distributionum illarum ratio ac genuina origo ferè ex latissimâ vocabuli Theologiæ usurpatione pendet: quæ aliquam de DEO cognitionem denotat, quantumcumque aut veritatis de ipso cognoscatur, aut falsitatis admisceatur; quocumque etiam ipsa in subiecto sit, aut quocumque principio constet.*

69. *Ita primò distribuitur Theologia in veram & falsam, quam etiam opinabilem dicere solent.*

70. *Qui in distributione eâ usus spectari potest, convenientius obtinetur cum Veritas formæ assignatur, tanquam affectio proximè illi devincta: falsitas verò sub oppositorum censu constituitur.*

71. *Inde Theologia vera distribuitur in Archetypam ac Ectypam, seu in Idealem, prototypam, Exemplanem, & expressam.*

72. *Illam rerum divinarum sapientiam in DEO dicunt, ipsi essentialem: Hanc ajunt, earundem rerum esse scientiam ex archetypo expressam & per communicationē gratiosam ad Dei gloriam informatam.*

Ufus

73. *Ufus eorum, quæ distributione hac innuuntur, percipietur directius, si ectypi ac archetypi ratio, & illa expressio ac informatio ad causâ Theologiæ nobis addiscendæ efficientem referatur: Sapientia verò illa Dei essentialis ad locum de divinis attributis reducat.*

74. *Hoc modo intelligitur, Theologiam illam nobis addiscendam ex liberâ Sapientiæ divinæ ordinatione pendere, originem quæ suam exinde unice ducere. Esa. 40. 13. 14.*

75. *Ulterius Ectypam partiumur ex modo considerandi, quæ aut in se spectatur [ut ea omnia cõtinerere intelligatur, quæ tum revelata sunt, tum revelabuntur] aut quæ in creaturis intelligentibus esse cogitatur, eamquæ dicunt ectypam in subiecto.*

76. *Distributionis istius usum ita clariùs est animadvertere, si per Ectypam in se spectatam cogitur origo & causa Theologiæ nobis addiscendæ esse tanquam inexhausta scaturigo, è qua plura consequenter sint promanatura, quàm quæ nanc Theologiam nostram absolvunt.*

77. *Juxtâ etiam hoc cogitandum, pro præsentem rerum statu, sufficiente affluxu scaturiginis illius, nos fru: obtenturos autem & consequuturos nos, si jam patefactis dignè usi fuerimus, post vitam hanc multò perfectiorem cognitionem ac sapientiam, juxta 1. Cor. 13. v. 9. 10. 12.*

78. *Theologia in Subiecto spectata, ulterius distribuitur in Theologiam Christi, Beatorum & Viatorum. Ac Beatorum alia angelorum alia Hominum beatorum seu Comprehensorum constituitur.*

Dici-

79. Dicitur etiam illa Christi Theologia, Unionis; Beatorum, Visionis; Viatorum Revelationis.

80. Quæ distributione hac significantur, accommodatiore ad usum modo exponentur; si Theologia Christi seu Unionis, spectetur ut causa præcipua & maxima Theologiæ nostræ Christianæ. Quod ipsius Christi monito Apostolorumque ductu fieri potest jux. Joh. 1. v. 16. & 18. Coloss. 1. 16. & 2. v. 3. 9.

81. Theologia Angelorum convenienter spectabitur, ut cognatum quiddam Theologiæ nostræ: quo respectu commone fieri nos de illo æquum est, quod Christus innuit Matt. 6. v. 10. & 18. v. 10. de Angelorum Theologiâ verè practicâ, hoc est cum summo obsequio conjuncta.

82. Sic & Beatorum seu comprehensorum Theologia pari modo utiliter expendetur: quæ simul etiam ut consequens Theologiæ nostræ spectanda est. Itaque ejus consideratâ dignitate & perfectione præ nostrâ, sollicitiore nostræ studio ad eam sortiendam nos apparare meminerimus.

83. Theologia Viatorum demum illa est, quæ pertractanda nobis est, circa quam potissimum occupari nos convenit, ad quam alia ista omnia, aliâ ad nos parùm pertinentia, conveniente modo & nexu fructuoso reducere consultissimum est.

84. Dicitur Viatorum Theologia per similitudinem (unde & sub comparatorum classem hæc Theologiæ appellatio propriè se refert) quia quasi viam ad Beatitudinem tradit, quæ nobis ad eam tendendibus tenenda atque terenda est.

Atque

85. Atque hac viâ similitudine, quoad Theologiæ & religionis negotium frequentissimè utuntur sacra litera utriusque fœderis. Gen. 18. 19. Exod. 32. 8. Deut. 8. 6. Jos. 22. 5. Judic. 2. 22. 1. Sam. 12. 23. 2. Sam. 22. 22. 1. Reg. 2. 3. 2. Chron. 6. 16. 27. Esd. 8. 21. Job. 21. 14. Psal. 16. 11. Prov. 21. 61. Esa. 2. 3. Jer. 21. 8. Ezech. 18. 25. Ose. 14. 9. Mich. 4. 2. Zach. 3. 7. Mal. 2. 8. 9. Matt. 21. 32. Et 22. 16. Act. 62. 16. 17. 18. 25. 26. 19. 9. 23. 22. 4. 24. 22.

86. Itaque quoties per viam ullam aliquam progredi nos contingit, VIÆ DOMINI, VIÆ SALUTIS etiâ meminisse nos sacra litera frequenti istâ appellatione volunt.

87. Distributiones præter enumeratas istas obveniunt hinc inde alia, quæ per modum specierum distinctarum enunciatur: ut cum distribuitur Theologia in Naturalem & Supernaturalem.

88. Sic cum juxta Dionys. in Mysticam & manifestiorè seu notiorè & ulterio in Symbolicâ, Telesticâ, Philosophicâ, Apodicticâ discernitur: cum juxta eundem in *ναρκατικὴν* affirmativam, & *ἀποφατικὴν* negativam; Et juxta Bartholomæi apophthegma in Magnam & parvam dirimitur: item cum in Catecheticam & didacticam, seu Methodicam & Exegeticam ex ductu Pauli Heb. 5. 12. 13. 14. Et 1. Cor. 3. 2. distinguitur: quo refertur etiam potest quod secundum Com. Agrip. de Vanit. Scient. cap. 97. 98. 99. alia Scholastica, alia Interpretativa, alia prophetica constituitur.

89. Distributiones verò istæ ex varietate principii Theologiæ & ex diverso cum tradendi modo & medio potissimum sunt depromptæ: adeoque quod

C


utiliter

utiliter in iis notari potest, secundū eos etiā respectus propriè est tradendum: quod peculiariter institutā eorum locorum pleniorè tractatione, Deo gratiose dante, fiet.

ἐπέλεγχος

DISTRACTÆ AC DIRUPTÆ LOCORUM THEOLOGICORUM TRACTATIONIS.

I.

UM pro Theologiæ partibus seu particulis habeantur particulares loci Theologici, iisque omnibus pertractatis Theologia tota videatur esse perfectè absoluta, de eorum tractatione monere aliquid hoc loco non erit supervacaneum.

2. Id verò est, quod ad Totalem plenamque Theologiæ perceptionem, quæque ad praxin commodè instruat, non sufficiat distracta atq; dirupta locorum Theologicorum tractatio.

3. Distractam autem atque diruptam Locorum Theologicorum tractationem vocamus, ubi respectus, ordo, nexusque, quo quisque Locorum illorum ad finem Theologiæ præfixum aut directè aut interveniente alio refertur & reducitur, probè semper non connotatur, vel potius primò prænotatur.

διαστροφήσις

Quantum referat in iis, quæ ad finem aliquem certum diriguntur, partium singularum respectum, ordinem ac nexum pernovisse, & accuratè tenuisse, artificialia illustri exemplo & documento esse possunt. Obrulerit tibi quispiam omnes singulasque horologii, staticæ rotularum gyratione tempora dimetientis, partes,

partes, sed dissolutas eas & disjunctas, integras licet omnes & inviolatas, Equidem, ni de exacta omnium istarum constitutione aut tibi constiterit antè, aut ipse simulte instruxerit, horologium eum tibi obrulisse integrum seu totale ac perfectum non dixeris. Exinde obrationem non absimilem de particularium locorum distractâ tractatione quid statuendum sit conjicere est facile. Quin etiam si vel minutissima particula in organo istiusmodi à debita situatione recedat, finem per illud assequi non licet propositum: ut quæ pro Theologiæ sacrosanctæ sine dextrè obtinendo in locis singulis particularibus accuratio sit adhibenda, per analogiam utiq; hinc elucescat.

USVS

SI secundum istam cautelam instituaturn particularium Locorum communium Theologicorum pertractatio, methodus logica, quæ ad sciendum & cognoscendum diffusè patet, fructuosè restringetur. Quod tribus præcipuè modis manifestum fiet: dum viâ hac,

1. Ad metam propositam perpetuo dirigemur intentè, & in omnibus:
2. Intra piâ in sapiendo moderationis cancellos continebimur facilè: de quâ Apostolus 2. Cor. 4. 6.
3. Ad scientiam non potiùs, quàm ad conscientiam in discendo & proficiendo nervosè illicemur & promovebimur.



COSMOLOGIÆ

MOSAICAE

INITIUM,

DEPROMPTUM EX CAP.

GENESEOS I.

THESIBUS

ANALYTICIS EXEGETICIS ET

PRACTICIS EVOLUTUM;

Quas

D. O. M. A.

SUB PRÆSIDIO

Reverendi Clariss. Excellentiss. miq; Viri

D. N. GEORGI VECHNERI

SS. THEOLOGIÆ D. ET IN ILLUSTRIS

SILESIORUM BETHANEO PRO-

FESSORIS ORDINARI

Præceptoris sui perpetuâ animi

observantiâ colendi,

Ad diem 9. Februarii ann. MDCCXIX.

Publicè excutiendas proponit

JOANNES FRANZIUS

Psal. 118, v. 17.

*Non moriar: sed vivam & opera DOMINI
enarrabo.*

BETHANIÆ,

Typis JOANNIS DÖRFFERI.